



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Magnetem contrariam vim suæ faciei ferro tribuere. Cap XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

mus, facile longitudinem Mundi à Fortunatis in sulis incipientem cognoscemus, vade illico & latitudo, & longitudo. & nocte intempesta, & maximis cœli tempestatibus facile nobis innotescunt. Fallum est igitur, quod à Cardano traditur, ferrum in pyxide à meridiana linea declinare; quia ad stellam polarem inclinat à cauda vrsæ, quum inclinatio ferri nouem gradibus declinet, nec polaris inclinatio tanta est.

Nauigatoria pyxide manente, & lapide se mouente, aut contra in contrarias partes se moueri.

CAP. XXXIX.

SI magnes super tabulam steterit, ac borealem ferri partem nauigatorie pyxidis admoueris australi lapidis parti, idq; ad dextram mouedo circumdabis, ferreus obelus ad sinistram trahetur: at mouendo pyxidem ad sinistram retrocedet ferrum ad dextram, & tandem elonga ur, vsque donec medium situm nanciscatur inter opposita illa duo puncta. Idem eueniet vmbra cili horologio: si eo manente, ac magnete circumducto, nam si ad dextram declinabis, ferrum eandem sequetur partem, si ad sinistram itidem. Hinc patet ferrum pyxidis à septentrionali polo trahi: nam Orientem versus iter facientes, ad Orientem vertitur, sic contra ad Occidentem, ad idem cœli punctum nutabit: & si magnes circumuoluatur, & ferrum circumuoluetur, vsq; circius circa suum centrum.

Magnetem contrariam vim sua faciei ferro tribuere.

CAP. XL.

NUNC de ferro à magnete contacto sermonem habebimus, & de miris eius operationibus. Quasum prima hæc, quod vbi ferro à Septentrionali magnetis parte contactum fuerit, & in æquilibrio positum, si eandem admoueris partem, quæ ei vires conciliauit, horret, expellit, & deturbat eam, contrariamque & oppositam partem ad se trahit, videlicet austrinam; cuius rationem iam supra diximus. Idem eueniet si ferrum ex austrina parte tetigeris magnetis: nam si eam
iplam

ipsam illico oppones, respuit à se illam, & attrahet aquilonarem: vnde similes facies inimicæ & aduersantes respiciuntur, dissimiles amico consortio conciliantur. Clarum est igitur magnetem cōtrariam vim suæ faciei ferro tribuere. Et ferrum secum vim recipit non contactæ faciei magnetis. Idq; tali argumento innotescit. Duas acus accipito, & nauiculis accommodato, vel filis pendentibus, si magnete contactæ liberè relinquantur, sibi mutuo contrahantur, amplexanturq; ijs partibus, quæ ex contrarijs magnetis contactæ fuerant, & horrebunt similes.

Bina acus magneti herentes, contrarias vires nanciscuntur. CAP. XLI.

NARRABIMVS & rem admiratione dignam, et si ratio à suis principijs non longè abeat. Si binas acus lapidi admoueas simul, & vnitæ parti, aliæ partes propendentes à magnete, se inuicem horrent, & fugiunt, & si manibus coire coges, vbi reliqueris, illico ad sua loca redibunt, se elongando quantum potuerint. Cuius ratio est. Quod si binæ vno magnetis puncto septentrionali adhæserint verticibus suis, australem virtutem recepisse censendum est, & cum similes facies sint, se vtro horrebunt, & quia magneti alligatæ aufugere nequeunt, maiori vi coactæ, at partes ferri oppositæ, quia vtræq; similes sunt boreales, necesse est se mutuo fugiant, & quia liberiores sunt, altera ab altera dissociabitur. Immo dum ita pendulæ sunt, si australem partem alterius magnetis admoueris, illico fugiunt, & ita elongari satagunt, vt interdum auellantur à magnete ab insubili spiritu propulsæ.

Quod facies trahentis ferri ferrum propellat ex suis diuersitate. CAP. XLII.

QUOD de solo magnete diximus, de ferro à magnete contacto dicendum venit: nam si acum magnete cōtactam in nauiculam posuerimus, in aqua natantem, vel filo suspensam, aut in æquilibrio; si supra ferrum magnete contactum posuerimus, illud trahimus, eademque pars, quæ supra ferrum accessit,